DISPUTATIO JURIDICA CIRCULARIS
DE

JURAMENTO PER ALTERIUS SALUTEM

Quam
DIVINA GRATIA ASSISTENTE
PRÆSIDE
VIRO CONSULTISSIMO ATQ; EXCELLENTISSIMO DOMINO,

CASPAR. MATTH. MÜLLERO,

U. J. D. & PROFES. DUCALI PUBL. ORDINARIO,
FAUTORE & STUDIORUM MODERATORE
OMNI HONORIS ET OBSEQUII CULTU PROSEQUENDO
PLACIDÆ DISQUISITIONI
IN AUDITORIO MAJORI
AD DIEM V. DECEMBR.
SUBJICIT.

JACOB ADRIAN von Weidebreck.
Nob. Pom.



ROSTOCHII,
Typis JOH. WEPPLINGII, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.

CAPUT. I.

AN JURAMENTUM PER SALUTEM ALTERIUS VERUM SIT JURAMENTUM?

§. I.



Arias variis usitatas fuisse jurandi formulas notissimum est; amatoribus freqventissimum est jurare per fulgentes oculos, per dulce osculum, aureos crines Dominæ,

Per q; suos illam nuper jurasse recordor
Per q; meos oculos, & doluere mei,

Ovid. *Amor. lib. 3. eleg. 3.* per vaccas jurare Banjanos in India ex Petri de Valle itin: *p. 1. epist. 3.* docet Pufendorff. *de Jur. Nat. & Gent. L. 4. c. 2. §. 3.* juramenti per capillum, per caput Dei mentio fit in *C. si qvis per capillum c. 22. qv. 1.* ubi simul hoc rejicitur, conf: Did. Covarruv: *ad C. Qvamvis de Pact. in 6. §. 1. n. 16. & 17.* Alii per caput suum jurabant, qvas & alias formulas simulqve earum sensum recenset & exponit Puffend. *d. l.* per salutem alterius freqventissima fuisse juramenta testantur historiæ, de qva jurandi formula dissertationem præsentem conscribere placuit; constitueram qvidem ab initio prolixiorem qvandam conscribere Disputationem, sed differre placuit propositum, præsentem autem materiam ita pertractabo, ut *sc. cap. primo* examinetur, an qvod juramentum per salutem alterius dicitur, verum sit juramentum, in capite secundo autem de effectu agatur: DEUS benedicat cœptis.

§. 2. Sed anteqvam ad qvæstionem hujus capitis, principalem progrediamur, missâ tum Etymologiâ v; Martini *in Comment. For. tit. 18. in Rubr. n. 7.* Covarruv. *ad*

ad C. *Qvamvis de Pact. in 6. n.* 3. Frantzk. *ad Tit. ff. de jurejur. n. 3. & seqq.* tum Synonymiâ v. Calep. *voc. Juram.* illa praejudicialis primum decidenda erit, an Christiano sub qvacunq; formula liceat jurare? frustra enim de modo & forma juramenti solliciti sunt, qvi omne omnino juramentum damnant & rejiciunt, cujus opinionis defensores & olim extiterunt, & hodie extant, nec verentur fundamentum hujus suae opinionis ex sacra desumere scriptura, allegantes inprimis textum *Matth. 5. v. 37.* ne juretis *omnino*, ubi vocabulum omnino, cum universale sit, & uti omnem excludit casum, sic omnem excludit exceptionem Seraph *de privil. 49, n.* 44. & dispensationem Gloss. *in cap. qvamvis de Pact. in 6.* impedit, qvo minus admittatur opinio textum ad temeraria restringentium juramenta: Sed contraria opinio, qvae non usum, sed abusum juramentorum Christiano interdictum esse statuit, veriorem putamus, defendit eam Gerhard. in *loc. Theolog. tom. 3. de Leg. morali* §. 116. Ames. *de Conscien. l. 4. cap. 22. qv. 1.* Lauterbach. *ad Tit. ff. de jurejur.* ut enim taceam, qvod ipse Christus jurasse legatur Matth. *16. v. 2.* Marc. 3. *v. 28.* Deus injunxit in certis casibus juramentum, sic si depositarius rem depositam periisse dicat, standum est ejus juramento Exod. *22. v. 11.* unde in Epist. ad Hebr. *6. v. 16.* juramentum finem litium facere dicitur, est enim optimum dirimendarum litium remedium. Anthon. Fab. in *Cod. lib. 4. tit. 1. def. 26. n. 6.* Carpz. *tit. 11. art. 3. n. 36.* ad textum, qvem in contrarium allegant Anabaptistae, varie respondetur, vid. Balduin. *de Cas. Cons. l. 2. c. 9. cas. 1.* Innoc. III. *in C. etsi Christus X. de jurej.* respondet, *etsi Christus praeceperit secundum Evangelicam veritatem, sit sermo vester, est, est, non, non, quia tamen hominum excrescente malitia, simplici assertioni vel negationi vix creditur, idcirco prudenter adjunxit, qvod amplius, à malo est, à malo non tam culpae, qvam poenae, nec exhibenti-*

um

um sed exigentium juramentum, *nam incredulitatis magis est pœna*, *qvam culpa*, *qvam sententiam etiam approbare videtur Balduin. d. l.* August. *Epist.* 154. & *in Tr. de Serm. Dom. l.* 1. *c.*30. *add. C.*2.3. 4. & 6. *c.* 22. *qv.*5.

§: 3. Sic ergo jurare licet, ut §. præcedenti pro instituti ratione i.e. breviter demonstravimus, modo objectum sit licitum, & modus præstandi licitus: De priori, objecto sc. non agemus latius, cum per se satis clarum sit, qvod de illicitis non valeat juramentum, ne fiat vinculum iniqvitatis *c.*18. & 26. *X. de jurej.* aut nutritivum peccati. Grammat. *Decis.* 12. *n.* 12. & *seqq.* Sed de modo agemus; Constabit vero de eo ex definitione. Discrepant autem hic Doctores. vid. Beust. *in Rubr. ff. de jurejur. n.*30. Johan. de Selva *in Tractatu de jurejur. qvæst.*1. *n.*2. & *seqq.* allegati à Martini *in Comment. For. tit.*18. *in Rubr. n.*4. communiter definitur, qvod sit religiosa rei alicujus asseveratio, in cujus majorem fidem Deus ipse ut testis & vindex perfidiæ invocatur, Lauterbach. *ad Tit. ff. de jurejur.* Struv. *Exercitat.* 17. *th.* 2. Puffendorf. *de officio Hominis & Civis. cap.* 11. §. 1. Hopp. *ad* §. 11. *Inst. de act.* consistit proinde forma juramenti essentialis, de accidentali vid. Hahn. *ad Tit. ff. de jurejur.* in eo qvod DEUS in testem & conseqventer vindicem, nam qvi scit omnia ultor est, ideo qvia testis. Grot. *lib.* 2. *cap.* 13. §. 10. invocetur. Balduin. *d. l.* 2. *c.* 9. *in pr.* Grot. *d. l.* Hahn. *d. l.* ille enim omniscius est solus, qvem fallere non possumus & cordium scrutator, qvi solus scit vera sint, qvæ dicimus, an non. Franzk. *ad Tit. ff. de jurejur. n.* 12.

§. 3. Rejicitur idcirco juramentum per alium, qvam per verum Deum præstitum, ut per Deastros, non enim obligat per hos præstitum juramentum. Sed qværitur annon qvi sciens per falsum DEUM jurat, obligetur? affirmativa defenditur in *C. Movet.* 22. *qv.* 1. ubi dicitur

qvod qvi per falsos Deos jurat, si non servet, bis peccet (1.) qvod per falsos Deos juraverit, (2.) qvod non servet pollicitam fidem, sed contrarium defendit, Didac. Covarruv. *ad C. Qvamvis de Pact. in 6. §. 1. n. 34.* propterea qvod sic nec re, nec affectione divinum invocetur testimonium, consentit Ulpianus in *l. 5. §. 3. ff. De jurejur.* ubi dicit: *Si qvis illicitum jusjurandum detulerit, scilicet improbatæ publice religionis videamus an pro eo habeatur, atq; si juratum non esset, qvod magis existimo dicendum.* Sane dubium non est peccare, qvi sciens per falsum DEUM jurat, id enim idololatricum est, annon tamen in juramento promissorio ad promissum implendum obligetur ei, qvi existimavit, jurantem pro vero DEO habere illum, per qvem juravit, forte non sine ratione dubitari poterat, in dolo enim est, qvi se Gentilem aut talem simulavit, qvi, per qvem jurat, pro verò DEO colit.

§ 5. Id certum, si jurans existimaverit verum esse Deũ, per qvem jurat, obligari illum Struv. *Exercit. 17. th. 5.* Lauterb. *ad Tit ff. de jurejur.* jurejurando, qvod propriâ superstitione juratum est, standum esse, respondit Divus Pius, v. *L. 5. §. 1. ff. de jurejur.* qvamvis enim hic erret, dum tamen existimat, illum per qvem jurat, verum esse Deum, si juramento per Deum ex opinione sua verum præstito contraveniat, qvantum in ipso est, qvod peccatum & prohibitum, vult, & suo appetitu in malum fertur, & hinc perjurium committit, habuit enim notionem Numinis divini qvamvis sub falso conceptu ante oculos, adeoqve reverentiam divinæ Majestatis violare voluit, Puffend. *de Jur. Nat. & Gent. l. 4. c. 2. §. 4.* ideoq; verus Deus, si pejeratum sit, in sui injuriam id factum interpretabitur. Grot. *l. 2. c. 13. §. 12.* dissentit Ziegl. *ad* Grot. *d. l.*

§. 6. An autem liceat Christiano à Gentili exigere juramen-

juramentum per Deastros dubium est, propterea, qvod qvi tale juramentum exigit â Gentili, illum peccare faciat, nam facit ipsum nomen Domini assumere in vanum, & tribuere Idolo, qvod soli competit DEO, aut religionem ejus approbare & pro vera habere videtur: Sed affirmativa videtur verior, Frantsk. *ad Tit. ff. de jurejur. n. 13.* Lautern. *ibid.* Ames. *de Conscient. c. 22.* §. 40. Grot. *lib. 2. c. 13.* §. 12. & svadet hoc necessitas, cum enim hodie nudæ alicujus assertioni plena semper fides tribui neqveat, sed aliqvando ad juramenta confugiendum sit, non poterit v. g. Turcæ per Christum, qvem non agnoscit, sed per Mahometem deferri juramentum; firmat thesin nostram sacra scriptura, Jacobo Laban præstitit juramentum per Deum Nahors Gen. *31. v. 13.* & qvamvis Puffend. *de Jur. Nat. Gent. l. 4. c. 2.* §. *4. in f.* existimet, DEUM Nahors fuisse verum Deum, contrarium tamen patet ex Josuæ *cap. 24. v. 2.* conf. Balduin. *de Casib Consc. l. 2. c. 9. cas. 3.* nec est qvod objiciatur, qvi tale juramentum defert, facere peccare jurantem, hic enim aliter præstare, ille vero aliter exigere non potuit, hinc ob justam causam necessitatem scilicet, permittit & tolerat per falsos Deos jurari. *vid.* Cornel. â Lapid. *in Comment. in Genes. c. 31. v. 13.* non vero præcise vult aut jubet, qvo ipso simul corruit objectio desumta à malefico, cujus maleficio alter ad tollendum malum sine peccato uti non potest, qvamvis hic paratus sit artem illam exercere. *vid.* Stryck. *in Not.* ad Brunneman. *Jur. Eccles. l. 2. cap. 17.* §. 4. nam hoc particulare maleficium maleficus non fuisset operaturus, nisi alter petiisset, & sic petitio illa causa proxima fuit, qvod maleficus hoc maleficium in specie commiserit. Didac. Covarruv. *ad C. Qvamvis de Pact. in 6.* §. *1. n. 23.*

§. 7. Per verum ergo Deum jurandum, eumqve

solum, qvod eousq; â qvibusdam extensum, ut nec per Evangelium jurari posse fas esse existimaverint, ita ut tale juramentum impietate non carere dicat Bakluin. *de Cas. Consc. l. 2. c. 9. cas. 2.* qvamvis id Wesenbec. ad *Tit. ff. de jurejur. n. 6.* admittat, ut per verbum *Evangelii* non intelligatur litera Evangelii, sed verbum Hypostaticum h. e. filius Dei. Hodie nihil freqventius est, qvam jurari So wahr mit GOTT helffe und sein heiliges Worth/ sicut & ubi de eligendo Imperatore agitur, Electores etiam Protestantes jurant per DEUM & sanctum ejus Evangelium, qvod variis exemplis illustrat Carpz *de Leg. Reg. c. 11. Sect. 9. n. 18.* Id certissimum est per Creaturas non esse jurandum, juramentum enim est species cultus divini, qvi Creaturis non tribuendus. Franzk. *ad Tit. ff. de jurejur. n. 15.* qvod satis clare exprimitur Deut. *6. v. 10. & cap. 10. v. 20.*

§. 8 Ex qva non ulterius firmanda thesi, cũ veritas ejus satis pateat, prono fluit alveo, qvid sentiendum sit de illa formula juramenti qvando juratur per salutem alterius, scilicet eam non esse admittendam, nec juramenti vim habere, *si detuli ut per Deum jurares, tu per caput tuum jurasti, vel filiorum tuorum, non erit juratum habendum jusjurandum*, verba sunt *L. 3. §. 4. L. 4. & 5. pr. ff. de jurejur.* absurdum enim est salutem tertii suis supponere juramentis, cum exitum res habere non possit, est enim in juramento devotio qvædam & obligatio tacita ad pœnas æternas, alienam autem salutem exitio & æternis pœnis nemo devovere potest, Frantzk *ad Tit. ff. de Jurejur. n. 23.* Lauterbach. *ad Tit. ff. d. Jurejur.* injustus enim foret DEUS si qvenqvam innoxium damnaret, inqvit ex August. *Epist. 105.* Grot. *l. 2. c. 20. §. 13.*

§. 9. Obstat qvod talia juramenta etiam in Sacra Scriptura sint freqventissima, ita Josephus juravit per vitam Pharaonis, Genes. *42. v. 15.* nec necessum est, ut dicamus

mus Josephum aulico more se accommodasse ad mores Ægyptiorum, qvibus ita jurare in more positum fuerit, ut vult Grot. *l. 2. c. 13. §. 11.* id enim â pietate Josephi alienum, Osiand. *in not. ad Grot. d. l.* plura exempla sunt *1. Sam. 17. v. 56. 2. Sam. 14. v. 19.* extant qvoqve hujus rei vestigia in jure Civili, *vid. pr. J. de Feidcicom: Hered* ibi: *per salutem ipsius*; Sed ad hos textus respondetur, exinde non inferri, juramentum per salutem Principis verum & stricte sic dictum esse juramentum. *Osiand. ad Grot. l. 2. Cap. 13. §. 11.* Sed tantum obtestationem. Balduin. *de Cas. Consc. l. 2. c. 9. Cas. 2.* Vinn. *ad d. pr. J. de Fideicomm. Hered.* qva in comparationem deducta re â nobis magnifacienda profitemur non minus id, qvod asserimus cordi esse, qvam id, qvod nos magnifacere apud omnes constat Ziegl. *in Not. ad Grot. L. 2. c. 13. §. 10.*

§. 10. Simile judicium esto, si Rex per salutem populi juret, nam nec tale juramentum obligare ex superioribus patet, scilicet ne innocens ex alieno perjurio & delicto puniatur; graviter autem hic obstat textus *2. Sam. 24.* ubi populus peste confectus ob delictum Davidis, qvam pœnam delicti sui ipse eligebat, adeoqve populum exitio devovebat: Sed respondetur, id factum propter concurrens peccatum populi, Osiand. *ad Grot. l. 2. c. 21. §. 17.* utut David populum suum innocentem esse voluerit *2. Sam. 24. v. 17.* nam. *v. 1. ejus capit.* dicitur, furorem domini exarsisse adversus populum Ziegl. *ad Grot. d. l.* ubi recte refutat opinionem Grotii statuentis, populum ob delicta imperantium puniri ex conventione, nam etsi concedamus qvandam imperantem inter & subditos conventionem. vid. Puffend. *de Offic. Hom. & Civ. l. 2. c. 6. §. 9.* ut unum inter se corpus Civile esse velint, non tamen inde colligendum, illam eo esse extendendam, ut pœnam

qvam

qvam sustinet caput corporis, etiam in membra derivetur.

§. 8. Sed nobis hæc tanti non videntur ponderis, ut negantium formulam jurandi per salutem alterius juramenti vim habere subscribamus opinioni, contrarium potius amplectimur, statuentes verum hic subesse juramentum; Moribus qvidem formula illa: *Ita me DEUS adjuvet*, sic recepta, ut in ea formam essentialem consistere dicat Carpz. *p. 2. C. 16. df. 6. n. 7.* Sed si his moribus remotis res consideretur dubium non est, solo animo jurari. Zang. *de Except. p. 3. C. 11. n. 192.* Carpz. *d. df. 6. n. 5.* certa voluntas jurandi est pro juramento. Mev. *p. 6 Dec. 374.* Gail. *l. 2. Obs. 43.* Ubi exinde infert, qvod si moriatur cui juramentum delatum, anteqvam illud præstaret, cum tamen præstare paratus esset, juramentum habeatur pro præstito, qvamvis dissentiat Brunn. *ad L. 12. C. de Jurejur.* ideò qvod non omnis moriens sit Johannes Evangelista Lauterb. *ad Tit. ff. d. jurejur.* ibiqve citatus Menoch. *de Præsumpt. lib. 5. præs. 5.* patet vero hoc clarius exemplo surdi & muti, in qvo utut verba nulla proferre possit, tacita obtestatio divina sufficit, non ex alia, qvam hac ratione, qvod etiam interno affectu in testem Deus invocari possit, si modo id signis qvibusdam declaret, v. g. elevando digitos priores Stryk. *de Jur. Sens. Diss. 4. c. 4. n. 28.* Si jam ut in viam redeamus, sola mente juratur, nihil qvoqve interest, qva formula usus sit jurans, dummodo substantialia observaverit, nec per alium qvam verum Deum juraverit, sed hunc in testem invocaverit: Sed id est, dixeris, ob cujus defectum præsenti formulæ vis juramenti deneganda, qvod cesset invocatio nominis divini: Sed respondemus, hæc invocatio est duplex, alia explicita, qvæ hic deest, alia implicita, Lauterb. *ad Tit. ff. de Jurejur.* qvæ hic adest: quod ut melius pateat, sciendum est qvando per so-

lum

lum Deum jurandum esse supra dictum est, non simpliciter prohiberi creaturarum qvoq; in juramentis facere mentionem, sed tantum, ne creaturæ invocentur, hic enim cultus est DEO debitus, adeoq; ad creaturas minime transferendus, sed duplici sensu creaturæ in juramentis nominantur (1.) respectu DEI Creatoris, qvia DEUS gloriam & potentiam suam in Creaturis patefecit. vid. Chemniz. *Harmon. Evangel. c. 51. p. m. 363.* & ita licitè nominantur seu qvatenus creatura consideratur ut objectum juramenti & in se, non licet per eam jurare, qvia est idololatricum, qvatenus autem consideratur ut signum & effectus, seu correlatum objecti (DEI) in juramento, omnino licet, verba sunt apud Ziegl. *ad Grot. l. 2. c. 13.* §. 11. Vossii *in Histor. Pelag. lib. 5. p. 2. anthit. 1.* conf. Didac. Covarruv. *ad C. Qvamvis de Pact. in 6.* §. 1. hinc Matth. *C. 23. v. 20. & seqq.* Christus dicit, qvi jurat per cœlum, jurat per thronum Dei, & per illum qvi sedet super ipsum, & qvi jurat per templum, jurat per ipsum & qvi habitat in eo vid. Chemniz. *d. c. 51* Grot. *L. 2. c. 13.* §. 12. *n. 1.* ut hoc modo jurare per uxorem per liberos, sit, jurare per creatorem horum, & sic per verum DEUM.

§. 11. Nominantur etiam (2.) creaturæ in juramentis alio sensu, nempe per qvandam qvasi oppignorationem, ut cum rem aliqvam pretiosam & nobis charam qvasi pignus deponimus, ut perfidiam nostram DEUS puniat in re nobis chara, Chemnit. *d. l.* Grot. *l. 2. c. 13.* §. 12. num autem hoc verum juramentum sit qværitur? qvod affirmare non dubitamus, si enim juramentum est, qvod per lapidem, rem nobis non adeo charam præstatur, ita ut contraveniens perjurii reus fiat ex mente Augustini prout ejus verba recensentur *in C. Ecce c. 22. qv. 5. Ecce dico charitati vestra, & qui super lapidem falsum jurat, perjurus est: Unde hoc dico? quia multi in hoc falluntur &*

 putant

putant, qvia nibil est, per qvod jurant, non se crimine teneri perjurii, prorsus perjurus es, qvia per id qvod sanctum non putas, falsum juras, si tamen illud sanctum non putas, sanctum puta illum, cui juras, non enim qvando juras, tibi juras, aut lapidi juras, sed proximo juras. Homini juras ante lapidem, sed nunqvid non ante Deum? non te audit lapis loqventem, sed sed punit te Deus fallentem Grot. *L. 2. c. 13.* §. 12. qvidni juramentum esset, qvod v. g. per liberos, & uxores chariſſimas nobis præſtamus! aut enim juramentum ita delatum, aut ſponte eſt præſtitum, ſi prius, obligatur jurans, qvia ſcit, qvæ ab ipſo proferuntur verba, ab illo, cui juratur, in vim juramenti accipi, nam & DEUS verba jurantis ita accipit, prout is cui juratur, intelligit. *C. qvacunq; arte 9. C. 22. qv. 5.* Balduin. *de Caſ. Conſc. l. 2. c. 9. Caſ. 7.* Lauterb. *ad Tit. ff. de Jurejur.* Sin poſterius, ſi qvidem animum jurandi habuit, & in hunc ſenſum verba ab accipiente juramentum intellecta, itidem obligatur, tum ex priore ratione, tum qvia Deus punit fallentem.

§. 12. Poſtqvam ita theſin noſtram firmavimus fruſtra nobis objicitur, qvod innocentis ſalus noſtris ſupponi neqveat juramentis, nec is æternis devoveri pœnis, aut propter alterius perjurium puniri, uti qvidem fieri credebant Scythæ, qvi ægrotante Rege inqviſiverunt, num qvis civium per ſolium Regis pejeraverit Puffend. *de Jure Natur. & Gent. l. 4. c. 2. §. 3.* nam id non intendit jurans, ſed potius ut conteſtetur, ſe in fide data tam certo permanſurum, qvam omnino cupiat vitam & ſalutem principis, liberorum, eſſe ſalvam, Henniges *ad Grot. l. 2. c. 13. S. 11.* Oſiand. *ibid.* & ſic ſuam potius intendit pœnam in re ſibi charâ, & hinc dum animum jurandi habuit & is cui juratum, ea qvoq; mente accepit, non tantum non impune fidem fallet, qvi creaturam hoc modo per juramentum temerè qvaſi oppignorare voluit, Chemnitz. *Harmon. Evangel.*

Evangel. p. 364. sed etiam cum salus publica incolumitati Principis sit innexa Puffend. *d. l.* fieri posset ut DEUS ob delictum populi & in pœnam pejerantium Principem pium, & cui salus populi suprema lex est, ex Dominio universali Grot. *L. 2. c. 21. §. 14. n. 1.* præmatura morte abripiat, qvod, si qvis per liberos juraverit, eo certius, qvia DEUS minatur se impietatem paternam in liberis vindicaturum, *Exod. 25.* utut per hoc iterum magis parentes puniantur qvam liberi, cum enim illi pro amore suo magis in liberis, qvam in se ipsis terreantur, ita ut per filii corpus pater magis qvam filius periclitari dicatur. *§. 5. J. de Noxal. act.* aufert aliqvando DEUS ex jure dominii plenissimi, qvod in res & vitam nostram habet, Grot. *l. c. 20. §. 14.* liberos, aut morbo affligit, ut cum nullum durius sit supplicium, qvam ex se natos ob se miseros spectare, uti ex Chrysostomo *Homil. 29. in 9. Genes.* loqvitur Grot. *d. l. n. 1.* tali spectaculo puniantur parentes & posthac amore liberorum pejerare dediscant, ex qva ratione defenditur pœna qvam Lex Civilis in liberos reorum criminis perduellionis statuit, *L. 5. §. 1. C. ad Leg. Jul. Majest.* ut perpetua notati infamia omnium incapaces fiant successionum, & qvamvis hanc Legem iniqvitate laborare, & à Lege divina ac æqvitate naturali plane abhorrere existimet Eckolt *ad Tit. ad L. Jul. Majest.* Contrarium tamen defendit Hopp. *in Exam. Inst. ad Tit. de Publ. Jud. qvæst. 16.* qvod nihil hic auferatur, qvam qvod Civile, & qvod beneficio Principis possident. Grot. *l. c. c. 21. §. 16. ibiqve* Ziegl. *in not.* ex iisdem rationibus si Princeps per salutem populi pejeraret, posset vel peste vel alia ratione populus affligi, non ut populus, sed ut superior puniatur, cum acerbissimum sit delinqventibus Regibus supplicium id qvod populo infligitur. Grot. *L. 2. c. 21. §. 17*

 CAP.

CAPUT II.

DE EFFECTU HUJUS JURAMENTI IN FORO CIVILI.

§. I.

INter juratam promiſſionem & ſimplicem loqvelam nihil intereſſe refert ex Chriſoſtomo Gratianus in *C. juramenti 22. qv. 5.* propterea, qvod ſicut in juramento nullam convenit eſſe perfidiam, ita qvoq; in verbis nullum debeat eſſe mendacium, qvia utrumqve & perjurium & mendacium divini judicii pœna damnatur, Gail. *L. 2. obſ. 59. n. 7.* qvod & juri Civili ſatis congruum eſſe videtur, nam ibi juramentum promiſſorium eſt nuda promiſſio. Lauterb. *ad Tit. ff. de jurejur.* unde perinde ut ex pacto nudo non datur actio. Franzk. *ad Tit. ff. de jurejur. n. 6.* Bachov. *ad Treut. vol. 1. Diſp. 21. th. 2. lit. a.* Eck. *ad Tit. ff. de jurejur. §. 11.* qvamvis diſſentiat Covarruv. *ad C. qvamvis de Pact. in 6. §. 2.* Confirmatorium qvoqve jure Civili regulariter nihil civile actui cui confirmando adjicitur, addit, Lauterb. *d. l.* Franzk. *d. l. n. 37.* ſeqvitur enim naturam actus cui adjicitur. *L. Non dubium. 5. C. de Leg.* ut proinde de effectu juramenti in foro Civili fruſtra videamur ſolliciti.

§. 2. Sed contrarium ſcilicet inter juratam & injuratam promiſſionem multum intereſſe extra dubitationis aleam poſitum eſſe remur, id eqvidem ambabus largimur manibus, eum qvoq; peccare, qvi promiſſionem etiam injuratam violat, ac utrumqve & mendacium & perjurium Deo diſplicere, adeoq; neutrum impune committi, interim gravius peccat, qvi juramento, in qvo Deum

um vindicem & teſtem invocavit, contravenire non veretur, Covarruv. *d. l.* qvæ de Jure Civili dicta, vera qvidem ſunt, ſed propterea non eſt, qvæ de effectu juramenti ſuſcipitur, fruſtranea plane diſputatio, nam ut taceamus etiam jure Civili caſus dari, ubi juramento ſua non denegatur vis, v. g. qvando transactionis juratæ violatio pœnam operatur infamiæ *L. 41. C. de Transact.* Vinn. *in tract. de Transact. c. 5. n. 15.* hodie in foro certiſſimum, in materia juramentorum utpote cauſâ conſcientiarum receptum eſſe jus Canonicum. vid. Hopp. *in præcogn. Jur. c. 8.* Lauterb. *in Præfat.* jure autem Canonico omne juramentum ſervandum, qvod absq; vitæ æternæ diſpendio & præjudicio tertii ſervari poteſt. *c. 2. de Pact. in 6.* Franzk. *ad Tit. ff. de jurejur. n. 6.* Conſiſtit proinde effectus juramenti in obligatione ad implendum promiſſum, aut perjurii pœnam, ſi contravenerit, ſubeundam.

§. 3. Qvod obligationem ad implendum attinet, diſtingvendum eſt inter juramentum promiſſorium, Confirmatorium, & litis deciſorium, illud dicitur, qvo qvid alicui juratò promittitur, nec actus aliqvis antecedaneus præſupponitur. Hopp. *in Exam. Inſt. ad Tit. de Action. qv. 62.* Lauterb. *ad Tit. ff. de Jurejur.* Franzk. *ibid. n. 48.* Iſtud, qvod actui cuidam ſeparato ejus confirmandi gratia adjicitur. Hopp. *d. l. qv. 61.* Lauterb. *ad Tit. ff. d. Jurejur.* hoc autem vocatur qvod ſuper rebus controverſis decidendis interponitur. Hopp. *d. l. qv. 63.* qvod prius attinet, dubium non eſt obligari qvi directo obligationis inducendæ animo v. g. 100. promiſit per ſalutem alterius, poſtqvam enim ſuperius in cap. præced. demonſtravimus licite creaturas in juramento nominari, non poteſt non obligari qvi per ſalutem alterius juravit, cum omne licitum

 iuramen-

juramentum obliget jurantem ad sui impletionem Lauterb. *ad Tit. ff. de Jurejur.* hinc ad implendum judicis authoritate compellitur.

§. 4. Qvod confirmatorium concernit, res difficultate non caret sua, annon ad confirmationem actus præcise reqviratur juramentum corporale & solenne ein zierlicher / gelehrter / cörperlicher / leiblicher Eyd / ad qvod hodie necessario adhibetur formula: Ita me DEUS adjuvet, Lauterb. *ad Tit. ff. de Jurejur.* Cz. *p. 2. C. 16. df. 6. n. 10.* an vero alia adhiberi possit formula? Qvod posterius negandum videtur, cum nec sufficiat iurare per Deum, So wahr Gott lebt / Gott Gott ist / aut per animam propriam, Ich wil nicht Seelig werden / Ich wil Gottes Angesicht nicht schauen. Carpz. *d. p. 2. C. 16. df. 6.* Lauterb. *d. l.* Sed hoc universale non est, constat enim formulas superius enarratas nominis divini involvere invocationem Ames. *de Consc. c. 22. §. 13.* Carpz. *d. p. 2. C. 16. d f. n. 10.* unde Doctores jam dicta restringunt ad casus, in qvibus solenne & corporale reqviritur juramentum, ubi aliam qvam supra dictam formulam adhibere non licet. Carpz. *d. l.* Lauterb. *ad Tit. ff. de jurejur.* his ergo in casibus formula jurandi per salutem alterius non sufficiet, qvod exemplis qvibusdam demonstrare necessarium duximus: Prodeat ergo minor, deqvo notum, qvod sine Curatore valide contrahere non possit. *L. 7. §. 2. ff. de Minor.* sed ejus consensus toties reqviratur, qvoties bona sua obligat. Lauterb *ad Tit. ff. de Curat.* secus si personam, ut communiter intelligunt *L. 101. ff. de Verb. Obl.* imo etiamsi curatoris consensus intervenerit, si tamen læsionem docere possit Minor Carpz. *p. 1. C. 26. d f. 23.* Lauterb. *ad Tit. ff. de Minor.* in integrum restituitur. *L. 3. C. Si Tut. vel. Curat. interv.* Carpz.

p. 2.

p. 2. C. 11. df. 34. Sed cessat remedium restitutionis si minor contractum juramento confirmaverit. *Auth. Sacramenta Puberum. Si adv. vendit. Lauterb. ad Tit. ff. Minor.* facit enim hoc ex minore majorem. Stryk. *in not. ad Lauterb. Tit. de Resc. Vendit.* Non obstant superius dicta, jure Civili juramentum confirmatorium nihil civile addere, Carpz. *p. 1. C. 26. df. 13.* nam. *h. Auth.* accommodata juri Canonico, cujus eo tempore magna erat authoritas. Franzk. *ad Tit. ff. de jurejur. n. 39.*

§. 5. An autem corporale juramentum reqviritur? Resp. affirmando, hinc qvamvis promissionem bey adelichen Ehren und Treuen / de consuetudine vim juramenti habere statuant Gail. L. 1. *Obs. 59. n. 11.* Carpz. *p. 2. C. 16. df. 5. n. 2.* Lauterb. *ad Tit ff. de jurejur.* Contractum tamen minoris non confirmat, ad effectum excludendæ restitutionis, sicut ita judicatum refert. Hahn. *in Not. ad Wesenb. Tit. ff. de Minor. n. 5.* ibi: Daß F. B. N. in integrum zu restituiren / und in den Stand zu setzen / darin vor ergangenen Vertrage die Sache gewesen / in welchen allen die Verpflichtung bey adelichen Ehren und an Eydes statt ihme unschädlich ist: qvo posito nec præsens sufficiet formula, per salutem alterius jurandi, qvamvis enim & huic implicita insit nominis divini invocatio, postqvam tamen de essentia corporalis juramenti reqviritur formula: *Itame Deus adjuvet.* Carpz. *p. 2. Const. 16. df. 6. n. 7.* juramentum per salutem alterius debitum non operabitur effectum.

§. 6. Diximus superius, qvod juramentum à minore præstitum eum majorem faciat, ex qvo seqvitur, qvod cessare faciat tantum illa remedia qvæ minori, qva minori & sic ratione ætatis competunt, non etiam ea, qvæ majoribus qvoqve conceduntur. Lauterb. *ad Tit. ff.*

de Rescind. Vend: Sic si minor contractum, in qvo ultra dimidium læsus est, juramento confirmaverit, non cessat propterea remedium *L. 2. C. de Rescind. Vend.* majoris autem juramentum idem excludit. Lauterb. *d. l.* Carpz. *p. 2. Const. 35. df. 1.* habet enim juramentum vim casus expressi, sive idem operatur ac si læsioni enormi expresse renuntiatum esset. Stryck. *in Not. ad Lauterb. Tit. de Rescin. Vend. verb. juravit.* add. *Brunnem. ad L. ult. ff. ad SCtum Vellejan. n. 17.* vid. Latissime hæc tractantem Fach. *l. 2. Controv. jur. c. 17.* Harpr. *ad §. ult. J de Empt. Vend. n. 131. & seqq.* num autem præcise corporale juramentum reqviratur, non conveniunt Doctores, negativam defendit Lauterb. *d. l.* etiam formulam bey Fürstlichen/Adelichen Ehren sufficere existimans, qvod præjudicio confirmat Richter. *p. 2. Dec. 99. n. 13.* qva supposita sententiâ etiam præsens formula per salutem alterius jurandi sufficeret, qvamvis tutius, corporale & hic adhibere juramentum, qvod toties juxta Carpz. *p. 2. Const. 36. def. 9.* necessarium est, qvoties juramentum reqviritur pro forma, aut ad substantiam, aut ad soliditatem actus, cujus porro notabile exemplum in intercessionibus mulierum, ex qvibus eas non efficaciter obligari notum est. *t. t. ff. Ad SCtum Vellejan*: sed opponunt actoribus exceptionem SCti Vellejani, qvæ tamen variis in casibus cessat, qvos prolixe tradunt juris interpretes, refertur vero huc, si mulier intercessionem juramento confirmaverit. Franzk. *ad Tit. ff. ad SCtum Vellejan. n. 27. & seqq.* Lauterb. *d. l.* Sed qvali? respondetur non alio qvam corporali Carpz. *p. 2. C. 16. df. 5.* clausulæ æqvipollentes juramento hic non sufficiunt Stryck. *in Not. ad Lauterb. Tit. ad SCtum Vellejan verb: juramento* Brunnem. *ad d. L. f. ff. ad SCtum Vellejan. n. 9.* Liceat autem unico

adhuc

adhuc exemplo rem demonstrare, qvod præbent pacta successoria, qvæ jure civili non valent sive negativa seu renunciativa fuerint, hinc filius non obstante renunciatione vivo patre factâ, testamentum patris tanqvam inofficiosum impugnare potest. *L. 35 §. 1. ff. C. De Inoff. Testam:* sive affirmativa, adeo ut hæc, qvia inducunt votum captandæ mortis alienæ Eck. *ad Tit. ff. de Pact. §. 8.* contra bonos mores esse indeq; nec naturalem, qvæ alias ex pactis oritur, *L. 3. §. 2 ff. de Solut.* Lauterb. *ad Tit. ff. de Pact.* producere obligationem, Lauterb: *d. l.* ubi allegat Hahn: *de jur. rer. con. l. 70. n. 2.* nec juramentô confirmari posse videantur, nam pacta qvæ contra bonos mores, nec juramento confirmantur, *L. 7. § 16. ff. De Pact* conf. qvæ supra dicta sunt; sed contrarium verius existimamus, pacta successoria juramento confirmari posse: nam hæc qvæ pro impugnandis his afferuntur, mere civilia sunt, qvod enim principaliter urgetur votum captandæ mortis alienæ, non provenit vitio pacti, sed vitio personæ, v. Stryk. *in not. ad Lauterb. Tit. de Pact. s verb. naturalis & in Exam: Jur: Feud. c. 12. qv. 25.* unde hodienum utilem cautelam esse dicit Stryk. *De caut. Contr. s. 3. c. 6. §. 5.* ut juramentum adjiciatur, qvo casu iterum nostra non sufficiet formula, sed corporale reqviritur juramentum, sicut & ad pacta renunciativa idem necessarium est, *C. Qvamvis de Pact. in 6.* Carpz. *p. 2. C. 38. def. 6. & 5.* Brunnem *cent. 3. Df. 98. n. 3.* pacta de hereditate tertii certi, nam de hereditate tertii incerti pactum etiam jure civili valet, Carpz. *p. 2. C. 35. Df. 17.* sine consensu istius nec juramento confirmari posse vult Didac. Covarruv. *ad d. Qvamvis de Pact.*

& firmitate contractus qværitur, adeoqve juramentum contractui valido confirmando accedit, præsens nostra formula per salutem alterius jurandi utiq; sufficiat, est enim hic implicita divini nominis invocatio, ut jam superius deductum. Pedem nunc promoveamus ad juramentum litis decisorium, hoc vero dividitur, in voluntarium, qvod pars parti extra judicium defert inter privatos qvasi parietes *L. 17. pr. & L. 39. ff. de jurejur.* Franzk. *ad Tit. ff. de Jurej. n. 759.* Hopp. *in Comment. ad §. 11. J. de Action.* Judiciale, qvod pars parti defert in judicio, acccedente judicis comprobatione. *L. 12. pr. & §. 1. ff. de Reb. Cred.* Lauterb. *ad Tit. ff. de Jurejur.* Hopp. *d. l.* Carpz. *tit. 11. art. 2. n. 2.* & Necessarium, qvod judex uni parti causa cognita ob inopiam probationis defert *L. 3. & L. 12. §. 2. ff. de Reb. Cred.* Qvod primum attinet, dubium non est, qvin valeat juramentum â parte parti per salutem alterius delatum, & ab eo, cui delatum est, hoc modo præstitum, *omne enim licitum juramentum, per qvod qvis voluit sibi jurari, idoneum est, & si ex eo juratum, Prætor id tuebitur*, verba sunt Ulpiani *in L. 5. pr. ff. de Jurejur.* Nec obstant qvæ superius in cap. præced. ex *L. 5. pr. ff. de Jurejur.* objecimus, non enim ibidem asseritur, juramentum per salutem alterius non esse juramentum, sed ideo in casu *d. L. 4.* non valet, qvia per Deum delatum, alter autem per caput filiorum suorum juravit, adeoq; formam delationis mutavit, *jurare enim oportet, ut delatum est juramentum, cæterum si ego detuli, ut per Deum jurares, tu per caput tuum jurasti L. 3. §. 4. vel filiorum tuorum L. 4. non erit juratum habendum jusjurandum L. 5. pr. ff. de jureiur.* vid. Lauterb. ad *Tit. ff. de jurejur*: qvod si forma delationis non mutetur, sed Juramentum ab initio statim per salutem alterius deferatur valebit præstatio juramenti.

§. 8. Si-

§. 8. Simile judicium esto de juramento judiciali; hoc enim si pars parti per salutem alterius detulerit, dubium non est qvin comprobari à judice possit, & si comprobante judice præstitum, obligabit, ex rationibus superius adductis, jurantem; Sed in juramento necessario, qvod judex parti defert, non facile locum inveniet præsens jurandi formula, sed illa potius in judiciis magis freqventata: Ita me DEUS adjuvet: qvamvis ea qvorundam aliqvando sit malitia, ut facilius per DEUM, qvam per salutem rei sibi charæ perjurium committant; Sicut sive fabula, sive historia circumfertur de qvopiam, qvi per DEUM jurare jussus, non obstante avisatione prævia, qvod si pejeraverit æternis se & animam suam devoveat suppliciis & pœnis, paratus tamen ad jurandum erat, in qvo cum animadverteretur ad pejerandum facilitas, jurare jubebatur per pecora sua ita ut in his vindictam à DEO exerceri peteret, tum vero dixisse fertur, ita se jurare non posse: sunt enim sane qvi magis æstimant bona temporalia, qvam æternam salutem.

§. 9. Sed cogimur vela contrahere, qvia hæc Dissertatio præter opinionem propositos jam excessit fines: hinc ad secundum nos conferimus effectum juramenti, qvi consistit in pœna perjurii contravenienti imponenda; ubi tamen ante omnia inqvirendum, an perjurio jure Civili pœna sit statuta? dubium movet *L. 2. C. de Reb. Cred.* ubi dicitur: *jurisjurandi contempta religio* satis *Deum ultorem habet*: ex qva Lege, & inprimis vo-

ib.28. Sed contraria opinio nobis hac vice placet propter varios juris textus, ubi pœna, qvamvis non semper eadem, in perjuros statuta, v. *v. L.21. & 22. ff. de dol. Mal. L. 13. §. 6. ff. de jurejur. L. 41. C. de Transact.* ad textum *d. L. 2. C. de Reb. Cred.* in conflictu data occasione D. v. respondebimus, varias variorum explicationes proponit Carpz. *d. qv. 46 n. 3. & seqq.* add. Anthon Matth *in Tr. de Crim. in Lib. 47. ff. tit. ult.* Brunnem. *ad d. L. 2. C. de Reb. Cred. n. 7. & seqq.* In praxi pœnam arbitrariam perjuris imponi testatur Carpz *d. qv. 46. n. 43. & seq.*

§. 10. Si qvis per salutem alterius pejeraverit penes Ægyptios usu hodieqve receptum esse, ut si qvis per caput Regis pejeraverit, morte puniatur, etiamsi pro redimenda vita, tantum auri, qvantum ipse pendet, solvere paratus sit, testatur Osiand. *ad Grot. L. 2. C. 13. th. 11.* qvin jure civili puniatur dubitare nos non sinit textus in *L. 13. §. 6 ff. de jurejur.: Si qvis juraverit in re pecuniaria per genium Principis dare se oportere & pejeraverit, &c. Imperator cum patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere*: qvamvis hic textus proprie loqvatur de juramento per genium, qvod verè idololatricum fuisse, cum jurarint per istum genium, tanqvam divinitatis participem & proinde occultorum testem & fraudis vindicem testatur Ziegl. *ad Grot. L. 2. c. 13. §. 11.* Setser *de Jurament. L. 1. c. 15. n. 35.* hinc Christiani non adduci potuerunt, ut per genium Principis jurarent, per salutem autem ejus jurabant, Gothofred. *in not. ad L. 2. C. de Reb. Cred. lit. n.* ibiqve allegat. Euseb. *Hist. 14.*

§. 11. Clarior textus est in *L. 41. C. de Transact:* pro cujus meliore intellectu sciendum est, qvod transactio qvæ authoritatem rei judicatæ habet *L. 20. C. de Transact.*

Lauterb.

Lauterb. *ad Tit. ff. de Transact.* ideoq; nec imperiali Rescripto rescindi potest *L. 16. C. de Transact.* aliqvando pœnali insuper stipulatione vallari & muniri soleat, qvo casu ad promissum implendum, vel pœnam præstandam agi potest. *L. 37. C. de Transact.* nisi adjecta fuerit clausula: *rato manente pacto L. 16. C. de Transact.* hæc enim id operatur, ut fidem frangens & pœnam & promissum præstare teneatur *L. 17. C. eod.* Brunnem. *ad* L. *16. ff. eod.* hujus autem clausulæ vim habet juramentum, Gail. *l. 1. obs. 150. n. 15.* hinc si major à jurata transactione resilierit, & accepta restituit & infamia notatur, de qvo jam supra, Vinn. *de Transact. c. fin. n. 15.* Lauterb. *ad Tit. ff. de Transact.* non autem corporale præcise reqviritur Juramentum, sed sufficit per salutem Principis jurari per text: *in* L. 41. *C. de Transact.* ibi; *Eos etiam hujus Legis jactura dignos esse jubemus, vel munere, qvi nomina nostra placitis inserentes* salutem Principum *confirmationem initarum juraverint esse pactionum*; unde etiam promissionem sub fide factam hic sufficere testatur Richter. *p. 1. dec. 33.*

§. 12. Sed annon qvi per Principis salutem pejeravit in crimen læsæ Majestatis incidat, qværitur? affirmandum hoc videtur, qvamvis enim in crimen læsæ Majestatis in specie, qvod committitur adversus Principis & Reipubl. superioritatem, dignitatem & existimationem per indirectum aliqvid machinando, dum qvis Jura Majestatis usurpat: Hopp. *in Exam. Inst. ad Tit. de Publ. Jud. qv. 12.* Lauterb. *ad Tit. ff. ad L. Jul. Majest.* non incidat, criminis perduellionis tamē reus esse videtur, qvi directo

videtur: qvod etiam asseri videtur in *L. 2. C. de Reb. Cred.* ibi: *periculum autem corporis vel Majestatis crimen etsi per Principis venerationem* qvodam calore *fuerit pejeratum, inferri non placet*: Unde à contrario colligitur, si non calore qvodam, h. e. inconsulto, v: Gothofred: *ad d. l. 2. lit. a.* sed consultò, qvod supponimus, nam dolus reqviritur, perjurium commissum per venerationem Principis in crimen illum Majestatis incidere; Sed contraria opinio nobis videtur verior, qvi enim per salutem Principis jurat, non directo intendit perniciem salutis Principis, sed suam, qvæ incolumitati Principis innexa, per supra dicta, impune tamen non feret, si consultò hic pejeraverit, qvia Majestatem Principis qvodammodo contemnere videtur, qvo ipso simul corruit, qvod qvi per Principem pejerare audet, ei maledicere, adeoq; vel ex hoc capite reus fieri læsæ Majestatis videatur, nam negamus maledictionē, & qvamvis eam concedere velimus, tantū tamen abest, ut maledicendo Principi crimen læsæ Majestatis committatur, ut contrarium potius colligi possit *ex L. un. C. Si qvis Imperat. maled.* add. Carpz. *qu. 41. n. 112. & seqq.* Lauterb. *ad Tit. ff. Ad Leg. Jul. Majest.* qvamvis ad simplex crimen Majestatis maledicentiam hanc referat Swendend. *in not. ad Eck. Tit. ad Leg. Jul. Majest.* §. 1. Struv. *Exercit. 49. th. 21.*

§. 13. Qvod mores attinet, perjurium ibi puniri indubitatum est, qvamvis pœna tantum arbitraria sit, ut supra dictum, in Const. Crim. Carol. *art. 107. & 108.* certa qvidem videtur statuta in perjuros pœna, scilicet abscissio digitorum, daß ihm die fördere Glieder der beyden Finger/ damit er geschworen/ abgehauen werden sollen: Sed hæc pœna ad duos, de qvibus C.C.C. loqvitur,

restrin-

restringenda est casus; (1.) si qvis pecuniæ vel lucri sui gratia, qvo id in commodum ipsius cedat, pejerat, so derselbe (sc. Eyd) zeitlich Guth betrifft / daß in des / der also fälschlich geschworen / Nutzen kommen / ut loqvitur Imperator Carolus V. *in Const. Crimin. art. 107.* (2.) Si qvis Urphedam seu juramentum de non redeundo fregit, wañ einer eine Urphede mit Sachen darumb er das Leben nicht verwircket hat / fürsetzlich und freventlich bricht / *art. 108. C. C. C.* qværitur si qvis in judicio ad delationem partis, per salutem alterius lucri sui gratia umb zeitlich Guth / daß in seinen Nutzen kommen ist / præstitum Juramentum fregerit, an abscissione digitorum puniri possit? qvod negamus, idqve propter verba *d. art. 107.* ibi: Welcher vor Richter oder Gerichte / einen gelehrten Meineid schweret: superius autem jam dictum est, qvod ad Juramentum corporale, zu einem zierlichen und gelehrten Eide id necessariò reqviratur: *ita me Deus adjuvet.* Extra hos casus pœna perjurii tantum arbitraria est, ut relegationis, vid. Carpz. *qv. 46. n. 49.* qvæ etiam ei qvi per salutem alterius pejeravit, non injuste imponeretur.

§. 14. Coronidis loco frustra forte monemus, cum ex jam dictis satis pateat, differre à Juramento per salutem alterius, Juramentum in animam alterius, Wann einer in eines andern Seele schweret / licitum siqvidem est Juramentum vel in propriâ præstare personâ, vel per nuncium & procuratorem *l. 9. §. 6. & l. f. ff. De Procurat.* ubi tamen reqviritur ut procurator speciale habeat

non censetur voluisse deferens, Juramentum autem semper ita præstandum, ut præstari vult deferens, unde Juramentũ delatum per alium præstari vix unqvam posse colligit Stryk: *in not. ad Lauterb. Tit. De Jurejur. verb. deferens*, videtur enim deferens ipsius Domini fidem secutus, Brunnem. *ad l. 34. §. 3. ff. De Jurejur.* cui frustra objicitur *c. f. De Juram. calumn. in 6.* ubi dicitur, qvod Judex injuriam facere non videatur, qvi procuratorem speciale mandatum habentem ad jurandum admisit, nam loqvitur hic textus de Juramento calumniæ, qvod est tantum credulitatis, secus ergo in Juramento decisorio, qvod veritatis est, Brunnem. *d. l. n. 6. & seq.* ibiqve alleg. Zœs. *ad h. l. n. 43.* si ergo procurator speciale mandatum producat, poterit consentiente deferente in animam sui principalis jurare, h. e. citra animum se obligandi, nomine & vice mandantis, sed qvi per salutem alterius jurat, se obligat, & in majorem tantum securitatem rem qvandam sibi charam qvasi oppignorat, nam hoc in sensu potissimum de hoc Juramento agimus.

Et hæc sunt B. L., qvæ pro ingenii tenuitate & temporis ratione de hâc materiâ, cæteroqvin sat ardua proponere placuit, sicubi erravi, scis me hominem esse, meliora docentes lubentissimè audio: nihil nunc restat, nisi ut DEO pro præstito auxilio grates persolvam debitas, eiqve studia mea & actiones commendem, EI sit

SOLI GLORIA.